

NUMMUS ICONICUS

CVM TRIUMPHALI CAROLI DV-

cis Lotharingæ: quorum hic cusus fuit dissipatis

Navarræi copiis auxiliaribus. Anno

Christi 1589.



ENRICUS Navarraus, legitimus Regni Gallici Heres nuncupatus, mirum, quam foedum, quamque inquietum tempestatibus regnum suscepit: quâ vi, quibus machinis, domesticis pariter & externis, fuerit exagitatus. Ille vicissim gubernatoris vicem induens, scisso velo ruptisque antennis navigantis, animo non frangitur: distribuit per Provincias quem secum habebat militem: Maynio viribus longè impar, nullatenus cedit: conquirat interim

solicite auxilia: sed magnâ eorum parte frustratur. Quas enim equitum peditemque copias conscribi in Germania per Sanseium curaverat, Dux Lotharingæ Carolus inter Benfeldam & Marckolsheimium assequitur: securosque periculorum, ne hostile quicquam metuentes cedit, profligat, dissipat: paucis exceptis, qui iuxta Basileam iter suum instituerant. Mitior longè iam in milites Dux ipse cum suis fuit, tribus eorum vexillis in fidem suam receptis, quàm ad Rhenum & Ellam habitantes rustici: qui miserè in pedites dispersos ac palantes saevierunt: hos quidem trucidando: illos aquis submergendo. Dux, ut victoriam persequeretur, in Burgundiam cum exercitu movit. *In nummo*, qui paulò ante hoc tempus cusus fuerat, *quid manus exerta designat: quid gladius vaginâ vacuus: quid circumducta epigra-*

pher?